

III. *Epiſtola D. Iоſephī Vallettæ Nobilis Neopolitanī, ad D. Ricardum Waller Armig. Reg. Societ. Sec. de Incendio & Eruptione Montis Vesuvii, Anno MDCCVII.*

Doctissime et Nobilissime Vir,

Accepi epistolam tuam humanissimam beneficio Illastris Comitis Saftesburij, cuius praesentiā jamdiu nostra Civitas exornatur, ob ejus insignem nobilitatem, eloquentiam, motum suavitatem, & antiquam erudititionem. Pergratum mihi facis, quod litterario commercio vestræ Regiæ ac^e Doctissimæ Societatis me dignum existimes. Petis a me, Vir Nobilissime, ut tibi claram plenamque narratiunculam mittam, qua extremi incendiī Vesuviani seriem tradam, eiusque phænomena patesciam, quæ tunc observavimus, ut ex eâ Societas, ejusque dignissimus Praeses *Iacobus Newton*, acri, uti semper solent, judicio, causas talium rerum ad naturalis Philosophiæ ornatum elivere valeant: Et quidem tibi, ut par est, obsecutarus, in explicando quodnam fuerit extremum incendium, cuius historiam requiris, plurimum hæſitavi; hujus enim montis tam frequentes, tam quotidianæ contingunt eruptiones, ut pene innumeræ sint, nec mensis unus, ne dicam annus, prætereat, quo aliquo motu vel modo minori, modo majori excidio non fæviat. Itaque si omnia ea, quæ accidunt, narrabimus incendia ejusdem, calamus & dies deficiet, nec facile sit mentem tuam interpretari, quæ extremum sibi petiit describi. Ex conjectura tamen moveor non tam de novissimo, quam de maximo incendio describendo me requisitum, quod An-

no



MDCCVII. toti Europæ constabat, in quo multa sunt observata, quæ non in aliis aut prioribus aut sequentibus, rerum miracula digna quæ Regiæ Societatis tradantur examini. Primo ergo si de Scriptoribus, qui hanc rem illustrarunt, verba facete velim, catalogum longissimum tibi mittere cogerer, quo corum nomina & opera indicarem; sed hæc tibi nota sunt, & pervenisse potiora ad te puto: attamen de hoc quod memoro nullum scripsisse scio, tanquam de re nimis jam agitata, & nimium frequenti. Enimvero de eodem pauca hæc habeo.

Anno MDCCVII, cum jam ætas ingravesceret, in extremis mensis Julij diebus *Vesuvianus* mons, qui diu quieverat, aliqua motus signa edere incepit, nam interni mugitus primò auditи sunt, qui in ipso montis umbilico personabant, nullo tamen adhuc dato aut fumi aut flaminæ indicio. Deinde paulatim post editos sonitus fumum emittere & clarum ignem incepit, qui noctu præsertim toti Campaniæ illucescebat. Per varia interim intervalla bombos dedit adeo horrifonos, ut vix ipsis comparandi sint crepitus è majoribus nostri temporis tormentis bellicis elici: Inde cineres veluti ex materia jam pinsata interius volvere perseveravit, per plures dies noctesque eos undequaque volvens in cœlum elatos, & in varias regiones dispersos, sicuti ventus spirabat diversus, modo in subjecta maria, modo in Stabianos, modo in Nolano, & Acerranos agros eos ejiciens. Nec silentio prætereunda vehemens lapidum pluvia, quæ cum hominibus, tum jumentis exitio fuit. Post hæc liquidum bituminis flumen, quod glaream vocant, è patulo ore, uti alias, vomere incepit, quod ignitam primo torrentis placidi formam habebat, eâ motus lenta celeritate se deorsum moventem, quam in pice liquefacta aut densioribus aliis observamus. Hæc materies, quam vitro ex arena liquefacto compararem in ferventissimis fornaciis, item ac vitrum ubi procedens deferuerat, lapideam duritiem acquirebat. Illud autem observatu dignum putavimus, quod superior hujus materiei

materiei defervescens superficies in lapides minutos spongiosos se vertebat, inferior vero in solidum laussum & durissimum silicem, quo in sternendis viis ab antiquo utimur; quasi quae proxima aeri erat illius particulas retineret immistas, inferiore parte nullo inani admisto in compactissimam massam coacta. Ceterum inter plurima montis effervescentis Phænomena duo certe furere a multa atate non visa, & ignota: tertio namque die aut quarto, fulgetra emittere ex orificio cepit, ejusdem feré aspectus ac quæ e Cælo interdum micare videmus, sed tortuosa & serpentia, & in eorum emissione tonitruorum bombi audiebantur, ut Cælo tonante eadem timemus: fuere ea tam spissa & frequentia, ut primo quidem putaremus pluviam casuram, usquequid animadversum est ea ex monte prodire, & obscuras nubes non ex vaporum materia, sed densitate cineris cadentis compactas. Intererea IV. Nona Augsti, quartâ post meridiem horâ, tanta ingruerat cineris densitas aerem Neapoli imminentem, ut exclusis radiis solaribus tenebrae undique sint inductæ, & quidem ea obscuritate, ut commineantes per urbem in ipsis compitis socios amicosq; agnoscere non potuerimus. Nulla nox illo die nigrior; accensis facibus si quis domo prodierat redire cogebatur, quod solum temporibus Titi accidisse ex Xiphilino accepimus: Ergo fæmineo ululatu omnia compleri, & prudenter sacras preces D. O. M. adhibere, & exitum talis portenti omnes timidi expectare. Magistratus urbis & Antistes indixerant populo supplicationes, & ut longo ordine ad Capuanam portam, quæ montem respicit, orantes ferrent Divi Januarii urbis Tutelaris Sacra ~~relata~~. Huc ubi se contulerant inter densissimas diei tenebras, tandem circa primam aut alteram noctis horam, ex Septentrionali parte, quam minor fortasse occuparat cinerum vis, unum aut alterum sidus micare visum est, & cœrulea facies Cæli apparere, & inde sensim per noctem tenebrae minui visæ sunt, quæ diem prius oculis abstulerant. Tum divino beneficio

(25)

beneficio, ea cinerum materies averso vento è nostra re-
gione ad mare subjectum perlata est. Dies ortus non
jam adeo illustris, sed reliquiis etiam cinerum per aerem
interspersis semiclarus, & retinebat — — — dubia
discrimina *Lucis.*

Sic arva cineribus vastans *Vesuvius*, vomitu glareæ per
plures dies exhaustus, ita ut feré ad proximum mare
nigerimus illius torrens profluxerit, tandem post quin-
decim pene dies quiescere visus est, & circumoppidani,
qui diffugerant, patriam repetentes ad suos lares migra-
verunt. *Neapolitani* demum metu levati, ut Divo *Januari*o,
præsenti eis semper in angustiis, memoriam perpe-
tuam statuerent, eidem numisma cudi curaverunt ex au-
ro argentoque, ubi Divi *Januarii* caput cum hac epi-
graphe: DIVO JANUARIO LIBERATORI URBIS
FUNDATORI QUIETIS; & altera numismatis facie
pacatus *Vesuvius* cum epigraphe: POSTQUAM COL-
LAPSI CINERES ET FLAMMA QUIEVIT. CIVES
NEAP. INCOLUMES A. MDCCVII.

Vale, Vir clarissime.

Neap. X. Kal.

Sept. 1712.

Tui Observatissimus,

JOS E P H V A L E T T A.

E

IV. *De motu*